

FACULTATES ET RITUS

BENEDICENDI AC IMPONENDI SCAPULARE

SACRI CORDIS JESU



BX2157

F32

c.1

RE DE LA VISITATION

RAY-LE-MONIAL

1902

996

BX2157


F32

c.1

008996



1080021170



FACULTATES ET RITUS

BENEDICENDI AC IMPONENDI SCAPULARE

SACRI CORDIS JESU

UANT



Capilla All...
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Univers...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
MONASTÈRE DE LA VISITATION
PARAY-LE-MONIAL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1902



FONDO EMETERIO
ALVARDE Y TELLES
45573


Mexico, 29 de Mayo de 1907.
Este documento es autentico y
puede hacerse uso de la gracia en el
contenido, segun las condiciones que
en él se expresan. Lo decretó el Sr. Dn.
Arzobispo. Con fe.

Gerardo Herrera
Lin



Visum et recognitum ut typis mandari possit.
Augustoduni, die 4^a 7bris 1902.

L. GAUTHEY,
Vic. gen.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

LAURENTIUS MERLE

RECTOR ECCLESIAE MONASTERIO VISITATIONIS
ADJECTAE IN OPPIDO PARAY-LE-MONJAL

DILECTO IN CHRISTO


R. D. *Emet Herius Valverde*

Sacerdoti

SALUTEM IN DOMINO

Ex privilegio speciali nobis a Sanctissimo D. N.
LEONE Papa XIII, die 19 Maii concessa, te dele-
gamus ad benedicendum et imponendum utriusque
sexus Christifidelibus SCAPULARE PROPRIE DICTUM
DIVINI CORDIS JESU, formulam adhibendo die
4 Aprilis 1900 approbatam.

In quorum fidem presentes Litteras nostra manu
subscriptas, sigilloque nostro munitas, expediri
mandavimus.



008995

Datum Paredi Monachorum, anno millesimo

nongentesimo quinto die

mensis

*quinto die Vigesimo quinto
Maii*



P. Noerby
Rector Ecclesiae Visitationis.

Visum et executioni mandatum

die

RITUS ET FORMULA

BENEDICTIONIS ATQUE IMPOSITIONIS
SCAPULARIS SACRI CORDIS JESU.

*Suscepturus scapulare Sacri Cordis
Jesu genuflectat, et sacerdos Apostolica
facultate pollens, stola alba indutus,
capite detecto dicat :*

*ŷ. Adjutorium nostrum in nomine
Domini.*

ŕ. Qui fecit cœlum et terram.

*ŷ. Ostende nobis Domine misericor-
diam tuam.*

ŕ. Et salutare tuum da nobis.

ŷ. Domine, exaudi orationem meam.

ŕ. Et clamor meus ad te veniat.

ŷ. Dominus vobiscum.

ŕ. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui divitas Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperuisti : hoc scapulare ejusdem Cordis tui emblemate decoratum benedicere digneris; ut quicumque illud devote gestaverit, intercedente Beata et Clementissima Genitrice tua Maria, virtutibus et donis caelestibus ditari mereatur : Qui vivis et regnas, etc.

Postea Sacerdos scapulare aspergit aqua benedicta illudque imponit, dicens :

Accipe, frater, hoc scapulare Sacri Cordis Jesu, quo ornatus in honorem et memoriam amoris et Passionis ejus, per intercessionem Beatae Mariae Virginis Matris Misericordiae divinae gratiae largitatem et aeternae gloriae

fructum consequi merearis. Per eundem Christum Dominum nostrum. R̄. Amen (1).

Deinde una vice cum adscripto dicat sive latino sive vernaculo idiomate sequentes preces jaculatorias :

Jesu mitis et humilis corde, fac cor nostrum sicut cor tuum.

Maria Mater Gratiae, Mater Misericordiae, Tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe.

(1) Si scapulare mulieri imponatur, dicatur : *Accipe soror*, etc. Si vero pluribus, tum omnia plurali numero dicantur.

DECRETUM

Quo Caritas Dei per Spiritum diffusa constanter maneat et regnet in cordibus hominum, mirabiliter confluunt divina sacramenta et religiosæ celebritates.

Inter has accensenda est solemnitas in honorem Sacri Cordis Jesu ab Ecclesia instituta, per quam non modo Cor Filii Dei et hominis adorandum et glorificandum proponitur, sed etiam symbolice renovatur memoria illius divini amoris, quo idem Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et, factus obediens usque ad mortem, præbuit hominibus exempla virtutum, seque ostendit mitem et humilem Corde. Verum studiosa fidelium pietas alios invexit modos, quibus ad eundem finem devotio erga Amantissimum Cor Jesu jucundis uberibusque fructibus ferax propagatur. Penes quamplurimos Christifideles pia ac laudabilis viguit ac viget consuetudo gestandi supra pectus emblemata ipsius S. Cordis Jesu, ad instar scapularis, quæ consuetudo a Beata Margarita Alacoque, quodam cœlesti lumine illustrata, originem duxit, et ab Apostolica Sede partialibus indulgentiis locupletata est. Quum vero similis devotio foveatur et majora

in dies capiat incrementa, præsertim in Galliis finitimisque regionibus, humiles enixæque preces Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII porrectæ sunt, ut ad majorem regni Christi ejusque divini amoris propagationem et gloriam provehendam, scapulare proprie dictum Sacri Cordis Jesu, cum apposito ritu et formula benedictionis atque impositionis, approbare dignaretur. Hoc scapulare conficitur ex binis de more partibus laneis, albi coloris, per duplicem chordulam seu vittam conjunctis, quarum una habet emblemata Sacri Cordis Jesu, prouti pingi solet, altera autem refert imaginem B. Mariæ V. sub titulo *Mater Misericordiæ*. Sanctitas porro Sua, has preces peramanter excipiens, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, scapulare supra descriptum benedicendum atque imponendum ritu et formula, quæ huic præjacent decreto, ab iis tantum quibus facultas ab Apostolica Sede concessa fuerit, approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 4 aprilis 1900.

Caj. Card. ALOISI MASELLA, *Pro-Dalarius*

L. † S.

S. R. C. *Pro-Præfectus*.

D. PANICI, *Secr.*

AUGUSTODUNEN

Sauctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII, in
audientia ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum
Congregationi Pro-Praefecto habita, die 19 vertentis
mensis et anni, R. D. Rectori pro tempore Ec-
clesiae Monasterio ordinis Visitationis adjectae in
oppido Paray-le-Monial vulgo dicto, intra fines
Augustodunen. diocesanos, perpetuum privilegium
(absque ulla Apostolici Brevis expeditione) benigne
attribuere dignatus est benedicendi atque impo-
nendi utriusque sexus Christifidelibus Scapulare
proprie dictum ejusdem Divini Cordis, ritum ac
formulam adhibendo die 4 Aprilis hoc anno sacro
legitime approbatam, facta quoque potestate ad
ipsius Scapularis benedictionem atque impositionem
delegandi quemlibet Sacerdotem e Clero tam Se-
culari quam Regulari. Contrariis non obstantibus
quibuscumque. Die enuntiata, h. e., 19 Maii 1900.

† Caj. Cardinalis ALOISI MASELLA, Pro-Datarius,
S. R. C. Pro-Praefectus.

L. † S.

† D. PASICI, Archiep. Laodicen.
S. R. C. Secretarius.

Visum, recognitum et executioni mandatum,
Augustoduni, die 31 Maii 1900.

L. † S.

Adolphus-Ludovicus-Albertus Card. FERRAUD,
Episcopus Augustod. Cabillon. et Matic.

INDULGENTIAE

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dilectus filius Cassianus AUGIER, sacerdos,
praepositus generalis Congregationis Obla-
torum B. M. V. Immaculatae, retulit ad Nos,
penes quamplurimos Christifideles piam ac
laudabilem vigere consuetudinem gestandi
supra pectus scapulare proprie dictum Sacri
Cordis Jesu, confectum ex ovis de more
partibus, quarum altera habet emblemata
Sacri Cordis Jesu, et altera imaginem refert
B. Mariae Virginis sub titulo *Matris Miseri-*
cordiae nuper per decretum die quarta aprilis
vertentis anni editum, a Sacrorum Rituum
Congregatione approbatum, Nos autem, ut
fidelium devotio et studiosa pietas erga
amantissimum Jesu Cor diffusa constanter
maneant et majora in dies incrementa capiat.
oblati Nobis precibus annuentes, quo tam
frugifera consuetudo per christianum orbem
latius propagetur, peculiaribus eam Indul-
gentiarum thesauris locupletari libenti qui-
dem animo existimavimus. Quae cum ita
sint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac

BB. Petri et Pauli App. ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum existentibus, qui hujusmodi scapulare juxta formam confectum a Sacrorum Rituum Congregatione approbatam, et a sacerdote debita facultate prædito rite benedictum suscipiant, die primo solemnissimæ impositionis, si admissorum confessione expiati, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, Plenariam, et in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam Plenariam; iis insuper qui devote ipsum scapulare habitualiter gestent, si pariter vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschalis Resurrectionis et Ascensionis N. D. Jesu Christi festivitibus, item festo Sanctissimi Corporis Domini, ac feria sexta post illius octavam, nec non Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis

Deiparæ Virginis Immaculatæ festis diebus, ac die qua festum agitur Virginis sub titulo *Matris Misericordiæ*, propriam cujusque curialem ecclesiam, sive aliud quodvis publicum templum sive sacellum, a primis vespers usque ad occasum solis diei hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex prædictis die id præstiterint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea iisdem fidelibus ubique terrarum similiter existentibus, et memoratum scapulare rite gestantibus, qui in festis secundariis tum Domini Nostri Jesu Christi, tum Deiparæ Virginis, corde saltem contriti, et preces uti superius effundentes, quodvis publicum templum uti supra dictum est visitent, de numero poenaliū septem annos totidemque quadragenas; et quo die semel Orationem dominicam, Salutationem angelicam et trisagium recitent, contrito corde, aut invocationem: *Maria, Mater Gratiæ, Mater Misericordiæ, Tu nos ab hoste pro-*

tege et mortis hora suscipe. ducentos dies; tandem quotiescumque pietatis quodlibet sive charitatis opus exercent, in forma Ecclesiae solita, de poenaliū similiter numero sexaginta dies expungimus. Memoratis denique fidelibus largimur, ut si, designatis in Missali romano diebus, quamlibet ex ecclesiis vel publicis oratoriis supradictis, ubique terrarum, rite visitent, ibique injuncta pietatis opera peragant, Stationum nuncupatas indulgentias lucrari valeant ac si personaliter illis ipsis diebus almæ hujus Urbis ecclesias de more visitassent. Porro concedimus ut fidelibus iisdem liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque, si malint, expiare. Non obstantibus Nostra et Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris, servata tamen Nostra constitutione quoad suspensionem indulgentiarum pro vivis hoc sacri jubilæi durante anno. Volumus autem ut præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subs-

criptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ; utque earundem litterarum (quod nisi fiat nullas eas esse volumus) exemplar ad secretariam Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ deferatur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X julii MDCCCC, pontificatus Nostri anno vigesimo tertio.

ALOIS., card. MACCHI.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM
CHRISTIFIDELIBUS SCAPULARE SS^{mi} CORDIS JESU
GESTANTIBUS CONCESSARUM

I. INDULGENTIÆ PLENARIÆ

1° Omnibus utriusque sexus Christifidelibus die impositionis scapularis, dummodo vere pœnitentes et confessi S. Synaxim sumpserint :

2° Christifidelibus sacrum scapulare gestantibus, a primis vespers ad occasum solis sequentium dierum :

Nativatis

3° Circumcisionis

4° Epiphaniæ

5° Resurrectionis

6° Ascensionis

7° SS^{mi} Corporis Christi.

8° Die festo SS. Cordis Jesu (feria VI post Octavam Corporis Domini).

9° Conceptionis

10° Nativitatis

11° Annuntiationis

12° Purificationis

13° Assumptionis

Domini nostri
Jesu Christi.

B. Mariæ Virginis.

14° Die festo B. M. V. sub titulo « Matris Misericordiæ », dummodo dictis diebus vere pœnitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, quamcumque ecclesiam seu publicum sacellum devote visitaverint, ibique pias ad Deum preces juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

II. INDULGENTIÆ PARTIALES

1. *Septem annorum totidemque quadragenarum*, in festis secundariis tum Dni Nostri Jesu Christi, tum B. Mariæ Virginis, quæ ab Universa Ecclesia celebrantur ; dummodo corde saltem contriti quamcumque ecclesiam, seu publicum sacellum devote visitaverint, ibique uti supra oraverint.

2. *Ducentorum dierum*, semel in die si semel Pater, Ave et Gloria Patri etc. aut invocationem « Maria, Mater Gratiae, Mater Misericordiæ, Tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe » devote recitaverint.

3. *Sexaginta dierum*, quotiescumque pietatis aliquod sive charitatis opus exercuerint.

III. INDULGENTIÆ STATIONALES

Devote visitantibus quamlibet Ecclesiam seu publicum Oratorium, ibique injuncta

pietatis opera peragentibus, diebus in Missali Romano designatis.

Omnes et singulæ indulgentiæ superius relatæ, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, animabus quoque Christianifidelium in Purgatorio degentium sunt applicabiles.

Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita præsens summarium, ex litteris Apostolicis in forma Brevis d. d. 10 Julii 1900 nunc primum excerptum, approbavit typisque imprimi ac publicari posse benigne permisit.

Datum Romæ, ex secretaria ejusdem Sac. Congregationis die 13 Augusti 1900.

Pro Rmo P. D. Francisco, archiep. Amid., secretario.

JOSEPHUS COSELLI,

L. † S.

Substitutus.

MONITA PRACTICA


Sacerdotes sive regulares sive sæculares qui delegationem exoptant ad benedicenda imponendaque scapularia Sacri Cordis Jesu, eam de facili habere possunt a Rmo Patre Generali Congregationis Missionariorum Oblatorum Mariæ Immaculatæ, **26, rue de Saint-Petersbourg, Paris, VIII^e**; a R. P. Superiore Capellanorum Ecclesiæ a SS. Corde, **31, rue de la Barre, Paris, XVIII^e**; a rectore ecclesiæ *della Pace, Roma*.

Eandem delegationem petere possunt a rectore ecclesiæ monasterio Visitationis adjectæ, vulgo **M. l'Aumônier de la Visitation, Paray-le-Monial, Saône-et-Loire**, mittendo 1 fr. pro sumptibus.

Opusculum cui titulus: *Le Scapulaire du Sacré-Cœur*, auctore **P. Lemius**, venit: **26, rue de Saint-Petersbourg, et 31, rue de la Barre, Paris**. Pretium 12: 1 fr.; 100: 6 fr.

Brevior notio, imagine Scapularis ornata et licentia Ordinarii Augustodunensis edita, venit: **Monastère de la Visitation, Paray-le-Monial**. Pretium 100: 1 fr. 50, *franco*: 2 fr.

Scapularia ipsa inveniuntur apud sequentes editores: Bouasse jeune et Cie, 12, place Saint-Sulpice, Paris; Motte, 244, rue des Plats, Tourcoing, Nord; Ch. Bourgeois, 158, avenue du Maine, Paris; Ch. Diard, libraire, Paray-le-Monial, etc., etc. ®



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UAN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

008